

22

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

PRÆTENSO PONTIFICIS ROMA-
NI IN REGNUM NEAPO-
LITANUM JURE,

QUAM

VENIA AMPL. FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN REG. ACADEM. ABOËNSI,

PRÆSIDE

Mag. JOHANNES BILMARK,

HISTOR. AC PHILOSOPH. PRACT. PROFESSORE
REG. ET ORD.
PRO GRADU

PUBLICE VENTILANDAM EXHIBET
ABRAHAMUS BURMAN,

JEMTLANDUS.

IN AUDIT. MAJ. die XXVII MAJ.

AN. R. S. MDCCLXXXIX.

H. A. M. S.

ABOË Typis FRENCKELLIANIS.

KONGL. MAJ:TS
TROTJENARE OCH BERGMÄSTARE,
HÖGÅDLE

Herr ABRH. WILH. BURMAN
SAMT
Fru BEATA MARGARETA SUNDELL,


MINE HULDASTE FÖRÄLDRAR,

Aldrig njuter den tacksamme gladare ögnablick, än då han får betyga sin tacksamhet; men högden röjes då ord fela at tolka hjertats känflor. Vördnaden helgar dessa blad at de Ömaste Föräldrar -- Mätte deras lefnad blifva lång och förnöjsam! -- Mätte en blid framtid lemna mig tillfälle at visa med hvad tilgifvenhet jag framhärdar at vara

MINE HULDASTE FÖRÄLDRARS

Lydigaste Son

ABRAHAM BURMAN.



Præfatio.

Quam magni generosique Reges quamcunque alius Principis in se suasque terras superioritatem, suæ utpote Majestati adversam, omni ægerime tulerint ævo; nemo certe miretur, dissentionum inter Aulam Neapolitanam ac Romanam scintillas, per longum male sopitas tempus, præterito anno propter intermissam tributum, quod Reges utriusque Siciliae Pontificibus Romanis pendere consueverunt, solutionem, in vivas erupisse flammam. Quæ illustris controversia inter Regem FERDINANDUM IV & Papam PIUM VI, quam magno utrinque animorum motu agitetur, ejusdemque eventus partem Europæ haud exiguum teneat suspensam, enata hinc nobis est occasio, præsentem dissertationem in fundamentum juris, quod a multis retro seculis in Regnum Neapolitanum sibi arrogarunt Pontifices Romani, illud pro Feudo habentes Ecclesiastico, inquirendi; sperantes, nos operam nostris Lectoribus haud ingrati facturos, si ad illustrationem hujus problematis vel aliquam conferre possimus symbolam.

§. I.

Historiarum monumenta, quæ, temporum injuriis erepta, ad nos pervenerunt, lustrantibus, vix aliquod orbis Politicæ occurrit phænomenon, cum Pontifice Romano comparandum. Qui enim B. PETRI se venditant successores, Apostolicam

primis seculis non dedignabantur modestiam, Ecclesiarum Pastorum & nomen & omen egregie satis tuentes. Invaluit quidem ex necessitate ordinis, in ecclesia servandi, munerum Ecclesiasticorum disparitas; simul tamen statutum, ut, quotquot eundem gerebant titulum, pariter etiam censerentur dignitatis. Longum igitur effluxit temporis spatium, quo nemini in mentem venit, aliquam inter præcipuos Ecclesiarum antistites præcedentiam Romano deberi Episcopo, obversante omnium animis primitivæ Ecclesiæ facie, vix etiam quopiam ignorante memorabile Patris Stridonensis effatum: *Ubiunque Episcopus fuerit, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rbegii, sive Alexandria, ejusdem meriti est ac sacerdotii.* Hoc autem æqualitatis circo se diu includi non patiebantur Episcopi Romani, memores urbis dominæ, cujus præerant ecclesiis, nec minores, quam veteres Quirites, in suis pectoribus alentes spiritus. Increfcenti eorum ambitioni valde favebat Imperatoris CONSTANTINI M. factum, sedem imperii Roma Byzantium transferentis; quem quum ægrius ac ferius quid in remotissimis suæ ditionis provinciis agebatur, rescitutum præviderent Episcopi Romani, occasione inservientes agitare coperunt consilia, auctoritatem illius imminuendi, suamque vicissim augendi potestatem. Et sicut hic Imperator ingenti flagrabat studio, commoda Religionis Christianæ promovendi; ita ecclesiis facultatem concecit, bona quævis in proprietatem sibi acquirendi, & quidquid pii homines testamentis eis legassent, retinendi: jurisdictionem quoque Episcopis concessit, adeo ut controversias quasdam majoris momenti, ad forum proprie spectantes civile, finaliter possent dirimere. Juribus autem civilibus modeste tunc utebantur Episcopi Romani, de eo potissimum solliciti, quo modo primatum in Ecclesia, quaqua patuit, Christiana sibi prius adferrent, quam sua longius prorogarent molimina. Fundamentum hujus præcedentiæ jactum fuit a Pontifice Romano, BO-
NI-

NIFACIO III, cui Græcorum Imperator PHOCAS in præmi-
 um remissionis paricidii in Imperatorem MAURITIUM & hu-
 jus familiam commiffi, titulum *Episcopi Oecumenici* conceffit;
 quod vero honoris axioma recusavit Pontifex Romanus, GRE-
 GORIUS I. titulum deprecans *oecumenicum*, quem vocavit
indicem superbie & notam Anti-Christi. Parum quoque
 hunc valuisse honorem constat; quum Episcopus Romanus mu-
 nus suum rite adire non posset, nisi ab Imperatore fuisset
 confirmatus & hujus fisco insignem pecuniæ summam solvisset.
 Ab hoc autem onere Episcopos Romanos levavit Imperator
 CONSTANTINUS IV POGONATUS, qui primus, uti credi-
 tur, investituram illis remiit. Sui ita juris facti Pontifices
 Romani, non primatum modo in omnes Ecclesias Christianas
 sibi arrogarunt, verum Principum potestatem sensim sensimque
 ita decerpserunt, ut, quum desideratum potentiae culmen ad-
 scendissent, jus sibi affererent, in mores ac vitam Principum
 inquirendi, æmulum contentionem decretorie dirimendi, pro-
 vincias pro arbitrio illis distribuendi, inmo regna Principi-
 bus tam dandi, quam eripiendi.

§. II.

Sicut nihil fere est adeo absurdum, quod non aliquo
 probabilitatis fuce possit in crustari; ita nec Pontifices Roma-
 ni intermiserunt, varia ingentis sibi arrogate potentiae fun-
 damenta adferre. Dixerat Salvator CHRISTUS discipulo PE-
 TRO: *Dabo tibi claves cælorum; quicquid ligaveris in ter-
 ra, ligatum erit in cælo, & quicquid solveris in terra, so-
 lutum erit in cælo*, Matth. XVI: 19.; que verba sibi, utpote
 B. PETRI successoribus, dicta esse venditant Pontifices Roma-
 ni, summamque adeo tam in spiritualibus, quam in tempora-
 libus sibi competere potestatem; quam piam eorum phanta-
 siam si quis post adultam Hierarchiam in dubium vocare au-
 de-

deret, hunc, ceu hæreticum, in promeritam incredulitatis poenam excommunicationis fulmine coercendum esse censuerunt. Enimvero quum Iple Salvator profiteatur, *suum regnum non esse de hoc mundo*, Joh. XVIII: 36, increparet etiam suos discipulos, de præcedentia inter se contendentes, adjiciens, honorem Principibus in hoc mundo debitum illis non convenire, Matth. XX: 25, firmiter concludimus, potestatem omnia in terra & cælo sive ligandi, sive solvendi, B. PETRO atque cæteris Apostolis concessam Matth. XVIII: 18, ultra disciplinam Ecclesiasticam non esse extendendam, sicut nec latius eam extenderunt vel Apostoli, vel qui primis seculis Romæ fuerunt Episcopi, ceu ex Historia luculenter constat Ecclesiastica; ut adeo vanus sit Pontificum Romanorum conatus, ex allato fundamento supremum sibi in omnes Reges & Nationes arrogantium imperium.

§. III.

Contendunt præterea Pontifices Romani, per legitimas donationes quædam Europæ regna atque provincias sibi fuisse concessa, eademque hoc modo feuda sedis Apostolicæ facta. Imprimis commemorant, Imperatorem CONSTANTINUM. M. Papæ SYLVESTRO I. insignem provinciarum numerum dono dedisse, de cujus veritate, nemo, qui dictatoriam Pontificis Romani auctoritatem veneratur, facile dubitat. Enimvero quum nullæ donationis hujus tabulæ, pro genuinis habendæ, unquam comparuerint, nec Pontifices, qui proximis a Concilio Nicæno I. sæculis vixerunt, aliquam ejus doni fecerint mentionem, occasionem ex hoc capite suam prorogandi potestatem non intermissuri, sed ipsi, ut cæteri cives, Imperatoribus Græcorum homagium præstare perrexerint, quicquid de amplissima hac donatione perhibetur, insulam sapit fabulam. Commemoratæ donationi gemina est illa, qua asserunt Pontificio-

fiorum nonnulli, Galliae Regem CAROLUM M. Romano Pontifici LEONI III., qui illum sub auspiciis anni 800 Imperatorem Occidentis declarasset, plerasque Italiae provincias in testificationem grati animi concessisse, litteris hujus donationis in mausoleo, quo ossa Apostolorum PETRI ac PAULI Romae conduntur, sollemniter depositis. Sed hujus quoque donationis fides, codicillis, eam continentibus, a nemine adhuc visis, admodum vacillat. Praeterea nec totam Imperator CAROLUS M. donare potuit Italiam, parte ejusdem haud exigua Imperatori Graecorum adhuc subjecta, nec quasdam dedit provincias, quum ipsam Romam aliasque urbes sub suo teneret imperio, ipsique Romani non Pontificibus, sed Imperatori & hujus successoribus homagium praestarent. Profecto quum potestatem non majorem, sed grandiore[m] solummodo titulum acceperit CAROLUS M., hanc beneficentiam insignibus in Pontificem, in Temp[er]a ac monasteria muneribus satis demereri potuit, cujus unicum dabimus documentum, scilicet, quod fisco Papali addixerit summam 2000 thal. Imperial. circiter, a se quovis anno solvendam. Ut paucis praecidam: probabile est, donationes commemoratas sub Pontifice GREGORIO VII, acerrimo potentiae papalis promacho, esse confictas (a). Denique observo, quod in neutra harum donationum fiat mentio provinciarum, ad Regnum Neapolitanum pertinentium, utpote quae longo adhuc tempore Imperatoribus paruerunt Graecorum.

§. IV.

Frequentibus aliarumque Nationum in meridionales Italiae provincias irruptionibus adeo attritae fuerunt Graecorum vires, ut eorum in has oras imperium seculo XI

(a) Vid. GIANNONES *Geschichte des Königreichs Neapel* Tom. II. p. 40.

extingueretur, ruinam eidem præcipue accelerantibus Norman-
nis. Hi ut melius tuerentur provincias, a se occupatas, in-
vestituram earum ab Imperatore Germaniæ HENRICO III,
ut Italiæ Rege, & petierunt & impetrarunt. Quum autem
illi nimis vexarent Apulientes, hi Pontificem Romanum LEO-
NEM IX supplices rogarunt, ut contra Normannos sibi ferret
suppetias; qua de re ita scribit Galfredus MALATERRA: *Apu-
lienses, nec dum traditionibus exhausti per occultos legatos
IX Leonem Apostolicum, ut in Apuliam cum exercitu ve-
niat, invitant, dicentes, Apuliam sibi jure competere &
Prædecessorum suorum temporibus juris Ecclesiæ Romane
fuisse (a)*. Forte hujus precationis epilogo, ad adulationis fa-
vos referendo, faventiorum sibi reddere voluerunt Pontificem.
Quicquid hujus sit, Pontifex cum Imperatore Germaniæ mox
agitare cepit consilia de Normannis ex Italia ejiciendis. Quan-
vis autem minus, quam vellet, proficeret, tantas tamen con-
traxit copias, ut non dubitaret cum Normannis aperto con-
gredi Marte; sed quæ temeritas adeo intelliciter Pontifici
cessit, ut victus & captivus factus fuerit, verum a victore,
Duce Normannorum HUNFREDO, eo honoris cultu excep-
tus, quem se supremo Religionis Antistiti debere hic Dux
credidit (b). Nec sibi in hoc rerum articulo defuit Pontifex,
qui Normannis *omnem terram, quam pervaserant, & quam
ulterius versus Calabriam & Siciliam lucrari possent, de
sancto Petro hæreditatis feudo sibi & hæredibus suis possi-
dendam concesserit (c)*. Atque hæc prima fuit investitura,
quam Normannis concessit Pontifex LEO IX, cujus Papalis ju-
ris

(a) Vid. *Ejusdem de Roberti & Rogerii Normannorum
rebus gestis Libr. I. Cap. XIV.*

(b) Vid. *GLANNONES. Tom. 2. Libr. IX. Cap. III.*

(c) Vid. *Ejusd. Libr. I. c.*

ris quam infirmum sit fundamentum, quilibet statim animadvertit, Pontifice liberaliter dante, quod non haberet, & Normannis ea accipientibus, quæ jure victoriae partim possiderent, partim strictis sibi acquirere possent ensibus. Dictam igitur Papalem concessionem ita interpretatur *GIANNONE*: Dies hie nichts anders, als die Normänner seiner Freundschaft mehr zu versichern, dass er sie in weiterer Fortsetzung ihrer Eroberungen nicht hindern, sondern ihre Waffen segnen, und ihre künftigen Unternehmungen vorgerechert erklären wolten (d).

§. V.

Posthæc Pontifex Romanus *NICOLAUS II*, Normannorum Duces *ROBERTUM GUISCARDUM & RICHARDUM* anno 1059 solenni modo sedi Apostolicæ obstrinxit, de qua re sequentia memoriae prodit cœvus Scriptor: *His dum quoque diebus & Richardo Principatum Capuanum & Roberto Ducatum Apuliæ & Calabriæ atque Siciliae confirmavit Pontifex, cum sacramento fidelitatis Romanæ Ecclesiæ ab eis primo recepto, nec non investitione census per singulos annos per singula boum paria, denarios duodecim (a)*. Ita sua calliditate & auctoritate obtinuit Pontifex, ut annum sibi censum pro imaginario beneficio præstarent Normannorum Duces. Et quum hi deinceps ex propria auctoritate & procerum suffragiis Regium nomen adsumissent, quod testatur *ALEXANDER*, Telesii Cœnobii Abbas (b), nihil ex hoc capite Pontifici debuerunt. Accessit tamen Pontifex Romanus *INNOCENTIUS II*, GE-

(d) Vid. *GIANNONE* l. c.

(a) Vid. *Leonis Ostiensis Chronicon monasterii Casinensis* Libr. III. Cap. 16.

(b) Vid. *Ejusd. de rebus gestis Rogeri Reg. libr. II.*

GERIO, utriusque Siciliae Regi, regnum Siciliae aliasque provincias in feudum concedens Ecclesiasticum, edita in territorio Mamanenti sexto kalend. Augusti Incarnationis dominicae anno 1139 bulla, ex qua nonnulla, ad praesentem rem spectantia adferemus: *Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio Rogerio, illustri ac glorioso Siciliae Regi, ejusque haeredibus in perpetuum. --- Nos ergo --- de potentia tua ad decorem & utilitatem sanctae Dei Ecclesiae spem atque fiduciam obtinentes, regnum Siciliae --- cum integritate honoris regii & dignitate regibus pertinente Excellentiae tuae concedimus, & Apostolica auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliae --- & insuper Principatum Capuanum --- tibi communimus. Et ut ad amorem atque obsequium B. Petri, Apostolorum Principis & nostrum & successorum nostrorum vehementius adstringaris, haec ipsa, id est regnum Siciliae, Ducatum Apuliae & Principatum Capuae haeredibus tuis, qui nobis & successoribus nostris (nisi per nos & successores nostros remanserit) ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu jurasti, juraverint --- duximus concedenda, eosque super his, quae concessa sunt Deo propitio, manutenebimus. --- Census autem sicut statutum est (c), id est Sexcentorum Schiffatorum, a te tuisque haeredibus, nobis & nostris successoribus, singulis annis reddatur &c. (d).* Ita perrexerunt Pontifices Romani majorem majoremque in Principes auctoritatem sibi arrogare, suumque que hoc compendio locupletare fiscum. Reges vicissim ac Prin-

(c) Scilicet de hoc censu paullo ante fuerat conventum inter Papam Anacletum II & Regem Rogerium ceu ex bulla Anacleti, cujus particulam exhibet *Giannoni Tom. II. Libr. XI p. 151 in not.* constat.

(d) Vid. *SCHMAUSSI corpus juris gentium Academicum Tom. I. p. 1 & 2.*

Principes, necessitate turbulentorum temporum compulsi, aliquam potius a Pontificibus patiebantur injuriam, quam eorum commoverent bilem, quos scirent levi de causa exulcerari, exulceratosque nullam vindictæ statuere modum.

§. VI.

Quamvis inter Pontifices Romanos atque Reges Neapolitanos, ex stirpe Normannica ortos, similitates subinde gliscerent, probabile tamen est, eos promissam pecuniæ summam ærario quotannis solvisse Apostolico. E re quoque sua duxit Pontifex INNOCENTIUS III Imperatricem CONSTANTIAM, Imperatoris HENRICI VI conjugem, unicam ex familia Normannica superstitem Principem, & hujus filium FRIDERICUM, Siciliæ Reges instituere, cujus bullæ hæc annexitur clausula: *Cum autem Tu, Fili, alloquitur Fridericum, Rex ad legitimam ætatem perveneris, nobis ac successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem & ligium homagium exhibebis; censum vero sexcentorum Squifatorum de Apulia & Calabria, quadringentorum vero de Marsia vos & heredes vestros statuistis Ecclesiæ soluturos* (a). Attamen Imperator FRIDERICUS II & præcipue hujus successores parum curarunt jus, quod Pontifices sibi in eorum terras arrogarunt; quare etiam intermiserunt solutionem census supra nominati; quam resarcituri jacturam Papæ Romani, regnum Neapolitanum aliis aliisque Europæ Principibus eis obtulerunt conditionibus, ut sibi homagium & insignem auri vim quotannis penderent. Oblatum munus, titulo speciosum, re autem ipsa periculi plenum, a multis proinde rejectum, accepit Dux Andegavenis CAROLUS, Galliæ Regis LUDOVICI VIII filius, qui, inclyto Duce ac Rege MANFREDO a suis subdole interfecto militibus, regnum occupavit Neapolitanum, atque cum

B

Pon-

(a) Vid. SIGONII librum de regno Italia p. 41. 317.

Pontifice CLEMENTE IV fœdus iniit, quo se obstrinxit, ut homagium Pontifici Romano præstaret, & insuper octo millia unciarum auri ærario quotannis solveret Apostolico, nec non quovis semestri spatio summam 5000 librar. Sterlingic., in majorem præstationis fidem adjiciens, se, solutione intermissa, regno cessurum (b). Mittimus vicissitudines, quibus census ex regno Neapolitano Pontifici præstitus, sequentibus obnoxius fuit temporibus, generaliter tantum observantes, annuam pro Regno Neapolitano pensionem recentiori ævo fuisse egregium albi coloris equum pretiose ornatum, nec non summam sex mille ducatorum (c).

§. VII.

Quum Pontifices Romani postulent non modo, ut annuum sibi tributum Reges solvant Neapolitani, sed insuper ut in hac præstatione certæ observentur ceremoniæ, indicia non ambigua, quod Regnum Neapolitanum pro feudo habendum sit Ecclesiastico; de illis nonnulla, quantum instituti fert ratio, nunc dicemus. Traditio igitur desiderati tributi fiet vespera, quæ festum St. Petri & Pauli præcedit seu die 28 Junii, finitis precibus vespertinis: qua occasione Pontifex, amictu indutus pretiosissimo, in sella Curuli in porticu Templi St. Petri magnifice exstructa sedet, cinctus tam suis satellitibus, quam illu-

stri-

(b) Vid. GIANNONE *Hist. cit.* Tom. p. 569 & 570.

(c) Ita scribit Celebris ROUSSET dans *l'interet des Princes* Tom. I. Chap. I. §. 18: *Les droits du St. Siège sur les Royaumes de Naples & de Sicile ne sont point disputés à présent. La haquenée & une cédule de 6000 ducats présentées tous les ans au Pape la fête de St. Pierre & de St. Paul, est une preuve incontestable, que la Feodalité au moins du Royaume de Naples est avouée par ceux mêmes, qui possèdent cet état.*

fribus, quotquot tunc Romæ commorantur, Principibus ac Viris. Omnibus rite dispositis, ad solium Pontificis accedit Regis Utriusque Siciliae Legatus, omnibus illis comitatus, qui Romæ hospitantur, & quo demum cunq̄ue modo imperio Regis parent Neapolitani, atque genibus flexis ac sandaliis Pontificis exosculatis, nomine Domini ac Regis sui, ei præsentat gradarium superbum albi coloris, sinistrae suæ adstantem, cui pretiosissimum impositum est ephippium, nec non marsupium holosericum vel citulam argenteam, in qua insignia tam Pontificis, quam Regis gentilitia sunt cælata, qua continetur Scheda abaci numularii (Banco-Sedel) sex mille ducatorum (a). Geminum hoc tributum nomine Pontificis recipit Cardinalis, qui Præses est fisci Papalis (Camerlongo ab Italis dictus), pecunias inferens ærario, equum vero tradens stabuli Papalis Præfecto, ut ad suum deducatur locum. Sollemne olim fuit, religiosum nemo sanus dixerit, gradarium per Templum St. Petri prius deducere, quam stabulo immittebatur Papali, sed qui nunc ad januam ædis recipitur, priorem superstitosum ritum tollente Pontifice BENEDICTO XIII. Exhibet quoque equus, domi satis exercitatus, honorem, quem potest, Pontifici, ad virgæ ictum in genua procumbens. Omnibus rite peractis explosa tormenta publicam testantur lætiam (b).

(a) Censur, ex regno Neapolitano Romano Pontifici quotannis pendendus, olim fuit 40000 ducatorum, sed quum tanta pecuniæ summa exhauriret regnum, auctoritate Papæ imminuta, 6000 aureorum annua solutione primus acquivisse dicitur Pontifex R. LEO X.

(b) Hæc cum ex aliis aliisque scriptis, tum imprimis ex *Annårkningarne til Svenska Post-Tidningarne pro an. 1735 p. 125, 126.* depromimus.

§, VIII.

Nec hoc loco erit silentio prætereundum, quod quum Hispaniarum Rex, nuper defunctus CAROLUS III totum fere Regnum Neapolitanum felicibus armis in suam redegit potestatem, atque circa regni sui auspicia Pontifici Romano BENEDICTO XIII pro more a suis Prædecessoribus consueto tributum misisset, hic oblatum munus non receperit; quod quidem non ex modestia factum, sed quod CAROLUM pro Rege utriusque Siciliæ, partibus favens Imperatoris nondum agnovisset; ostensurus, uti videtur, si temonem fortuna verteret, diuturnum non esse imperium, sine suo obtentum consensu; spe autem sua dejectus, ne intempestivus suus rigor magnanimum offenderet Regem, tributum deinde admittit. Patris ac Prædecessorum exemplum secutus quoque hodiernus utriusque Siciliæ Rex, FERDINANDUS IV, prætenso juri Pontificis nihil derogavit, donec gravissimus, qui Calabriam aliasque vicinas regiones An. 1783 adflixit, terræ motus, paternum ejus in suos cives animum ita commoveret, ut his ad incitas reductis subveniret; non vane præsumens, annuos redditus necessitatibus publicis suffecturos, si modo ad tenorem æquitatis & salutis publicæ administrarentur. Pervidens itaque monasteria suæ ditionis dimidiam ferme reddituum partem quotannis absorbere, statuit plura eorum sensim reducenda, ingentesque reductorum opes, usibus patriæ ereptas, publico revindicandas ærario. Ad veritatis quoque ac sanæ Politicæ lampada expendens jura Majestatica, quæ sibi ut Regi independentem ab alio homine competere, inter alia solutionem census, Pontifici Romano pendere soliti, præterito intermisit anno, pro ea tamen, qua eminet, generositate declarans, se eandem pecuniæ summam, sine fercularum pompa recipiendam, muneri, non tributi, nomine ærario submissurum Apostolico.

§. IX.

Non tam jacturam, quin potius injuriam, per intermissum sæpius nominatum tributum, sed Apostolicæ esse illatam, graviter conqueritur Pontifex Romanus, jus suum percipiendi consuetum ex regno Neapolitano censum, ex duplici imprimis, quantum nobis constat, urgens capite, cum quod Regnum Neapolitanum, ut feudum Ecclesiasticum ad se jure præscriptionis pertineat, tum quod Rex FERDINANDUS ad solutionem census ipso se obstrinxerit facto. His autem vindictarum speciebus opponi facile possunt rationes, illarum vim valde retundentes. Feuda enim, quæ venditantur, Ecclesiastica, sunt commenta tantummodo Pontificia, nullo subnixâ fundamento, ceu in antecedentibus fuit ostensum. Late quidem olim patuit Patrimonium St. Petri, sed quo prædia quædam hinc inde sparsa indigebantur, piorum hominum testamentis Pontifici R. olim legata; cui testandi abusu, donec excommunicationis fulmina extimerent homines, mederi non potuerunt Principes; quorum vero posteri ac successores, dissipatis ignorantie tenebris ac superstitionum chasmatibus, ab injusto liberati metu, sua sibi semim revindicarunt jura. Præterea quam certum sit, qui suo utitur jure, nemini facere injuriam, jus autem Imperanti competat & colligendi tributa, & eadem in felicitatem publicam administrandi; ergo nec Rex utriusque Siciliæ per intermissionem tributi ullam Pontifici infert injuriam. Insuper Regi cuiusvis incumbit, suam ita tueri majestatem, ne hæc quandam splendoris patiatur eclipsin, quod fit, si regnum suum præter gravissimam necessitatem sinat esse censiticum. Et hoc quidem eo usque valet, ut si Regis Prædecessores ex rationibus tunc temporis utique prægnantibus quidquam juris sui in extraneum contulerint Principem, his deinceps cessantibus, patrocinio hujus vel nullo vel inutili facto, ille non sit vituperandus aut contra officium agat, si jus suum sibi revindicet. Quam diu Pontificis manda-

tis aut hierarchicis rationibus omnes cesserunt, sibi suisque regnis non male consuluerunt Principes, annuo censu ejus aucupantes gratiam; qui vero sumtibus recte pareunt, auctoritate Pontificis haud necessaria sibi visa. Fas quoque est, ut Princeps quilibet, jus sibi in alienum asserens territorium, fundamentum suæ prætensionis ostendat; titulum autem sui in regnum Neapolitanum juris Pontifex R. adfert nullum, sed quoties intermissa fuit census præstatio, ex axiomatice tantum sua superioritate contra Regem utriusque Siciliæ egit; unde patet, juri huic Pontificati parum esse tribuendum. Immo si rem æqua mentis lance pensitemus, eamque suo appellemus nomine, concedendum erit, Regem utriusque Siciliæ in hac scena esse Benefactorem, Pontificem vero Beneficiarium, adeoque illum, ut huic gratificetur, ulterius non teneri, quam sibi suisque civibus judicet commodum. Præscriptionem frustra quoque crepant Pontifices Romani, Historia astatim docente, quod Conditores diversarum Dynastiarum, qui regnum tenuerunt Neapolitanum, hoc æcu feudum a Pontificibus non acceperint, sed aditum sibi ad regale solium felicibus paraverint armis, censum pro re nata & sua ad Pontificem relatione vel solventes vel intermittentes, adeoque veri nominis præscriptionem in hoc negotio frustra urgent Pontificii. Admirari denique licet summam Regis FERDINANDI IV prudentiam, non detrectantis omnino, ut novellæ docent publicæ, consuetam pecuniæ summam ætario solvere Apostolico, sed indignantis solum modum, quo ipsa tradenda, suæ utpote majestati, quæ nullam admittit clientelæ speciem, non convenientem. Adde, quod quum ceteri Europæ Reges, quorum regna pro feudis Ecclesiasticis olim etjam habuerunt Pontifices Romani, horum auctoritati pridem se subdlexerint, nulla subsit ratio, quare Rex utriusque Siciliæ prætenso tantum Pontificis in suum regnum juri adhuc velificari, nulla urgente necessitate, pergeret.

